

debeat, si illud modicum temporale obligatorie, vel saltem ut motivum pro consequendo beneficio dedit, ac præstitit.

13. *Nec ex parte rei spiritualis.* — Probatur etiam, quod ex parte rei spiritualis non detur parvitas materiæ a mortali excusans ex cit. can. *Placuit.* 102, cau. 1, q. 1, ubi sub æterna damnatione, consequenter sub peccato gravi illicitum declaratur, etiam pro modico balsami benedicti aliquid temporale dare, vel accipere. Ratio patet; quia cum quævis etiam minima res spiritualis omnibus mundi thesauris sine comparatione præstantior sit; irreverenter, et sacrilege tractatur, magna injuria ei irrogatur, si æqualis cum re temporali pretii indignissime aestimatur, et pro eo datur. (ADNOTATIO III.)

§ II.

DE DIVISIONE SIMONIAE IN MENTALEM, CONVENTIONALEM, REALEM, CONFIDENTIALEM, ET IN EAM, QUÆ EST JURIS DIVINI ET HUMANI.

14. *Ratio hujus divisionis.* — Notandum prius, simoniæ communiter dividi in præfata rubricæ membra, de quibus licet specialis difficultas aut controversia apud doctores non existat, exacta tamen illorum cognitio valde necessaria est ad cognoscendum, an, et quibus poenis ob commissam simoniæ in foro externo, vel interno quis subjaceat; cum non quævis simoniæ poenam secum trahat, nec ob quamvis eadem poena incurritur, prout patebit ex § 11. Hinc pro debita horum notitia specialem paragrapnum de divisione, et membris simoniæ apponere placuit.

15. *Simoniæ mentalis et interna, quid? et quomodo differant?* Ecclesia tantum judicat de externis. — Quæritur I. Quid sit simoniæ mentalis? Quid conventionalis? Et quid realis? Ante responsionem nota, merito sub una quæstione tria hæc simoniæ membra examinari, quia cognitio unius a cognitione alterius dependet, eamque juvat. Notandum ulterius, tria ad propositum considerari posse in simoniæ, videlicet interna voluntas seu intentio, pactio externa signis vel verbis expressa, et executio ipsius pactionis. Et secundum hæc tria communiter dividunt canonistæ simoniæ in mentalem, conventionalem, et realem; prout statim magis patebit. Nam

Resp. I. Simoniæ mentalis illa (de qua doctores et jura loquuntur) est quando quis dat temporale pro spirituali, aut reciproce hoc pro illo, sine ullo quidem pacto expresso, vel tacito externe manifestato, hac tamen interna intentione, seu proposito, ut alterum obliget, moveat, aut alliciat ad dandum spirituale beneficium v. g. ecclesiasticum pro temporali, aut reciproce ad dandum temporale pro spirituali.

Dicitur notanter, quando quis dat; quia, quod actu det, ad hanc simoniæ necessario requiritur, ita, ut quamvis coram Deo etiam veram et mortaliter peccaminosam simoniæ quis committat, quando præcise interne proponit dare, aut præstare temporale pro spirituali, aut e contra; etsi nondum sit executus propositum, tamen hæc simoniæ, non dicatur mentalis in sensu, in quo de illo communiter loquuntur doctores, sed potius dici possit, ac debeat simoniæ interna: mentalis vero, de qua loquimur, sit illa, quæ quidem actum externum habet, malitia tamen illius se non prodit exterius, sed in sola mente remanet. Hujusmodi simoniæ mentales referuntur c. *Tua nos.* 34, et c. fin. h. t. simulque additur, illas ab Ecclesia, utpote de manifestis tantum judicante, non puniri, licet apud districtum judicem (qui est scrutator cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicentur, ut dicitur cit. c. 54, h. t. unde et in tal casu delinquentibus sufficit, per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori, prout additur cit. c. fin. eod.

16. *Simoniæ mentalis subinde ex parte utriusque, subinde ex parte unius, et quidem persæpe fit: exemplificatur.* — Hæc simoniæ mentalis a poenis Ecclesiæ libera, quæ ex parte utriusque committitur; dum nempe unus dat, et alter accipit quidam simoniaca intentione, ita tamen, ut nullus suam malitiosam intentionem internam verbis vel signis exterius manifestet. Ex parte unius frequentissime, proh dolor! contingit, ut si quis v. g. serviat episcopo, patrono, vel alii pro exiguo, aut incompetente salario, hac intentione occulta, nullo signo extero manifestata, ut ab eo in compensationem, aut recognitionem præstati serviri conferatur beneficium, etc. Item, si quis et nonicatu, parochiæ, aut alii beneficio in hiens munera offert, aut obsequia sive personalia, sive realia præstat collatori, electori, patrono, commendatori (id est illi quem gra-

§ II. DE DIVISIONE SIMONIAE IN MENTALEM, CONVENTIONALEM, ETC. 133

tia pollere ad collatorem v. g. scit) externa simulando, quasi omnino gratis, et nescio quo titulo licito ita faceret, habens interim in mente hanc intentionem seu propositum, ut tali munere, vel obsequio alterum moveat ad conferendum, aut procurandum sibi beneficium.

17. Pariter discurrendum est de illis, qui spirituale dant, beneficium v. g. conferunt, vel ad illud præsentant, eligunt, etc., hac occulta intentione et animo, ut accipiens, vel intuitu accipientis, alii obligentur aut moveantur ad conferendum sibi, vel suis consanguineis aliquid temporale, vel hoc aut illud sibi suisve præstetur obsequium temporale, vel suo tempore conferantur officium temporale, vel fiant intercessiones, recommendationes, etc.

18. *Transit sæpe in conventionalem et realem.* — Et quamvis ob hujusmodi simoniæ, quandiu manet occulta, nulla incurritur Ecclesiæ poena solumque Deum judicem habeat et vindicatorem; tamen si ita fit, ut alter facile advertere possit, ac debeat, jam transit in simoniæ conventionalem; etsi propterea etiam temporale pro spirituali, aut spirituale pro temporali confert, aut præstat, simoniæ realis evadit, et poenas iuris in ipso facto inducit.

19. *Simoniæ mentalis, quid?* — Resp. II. Simoniæ conventionalis est, quando intervenit etiam conventio, seu pactum expressum, vel tacitum, externe manifestatum dandi temporale pro spirituali, aut e contra, ita tamen aut vel ex nulla, aut una tantum fiat executio, qua unus quidem dat spirituale v. g. beneficium cum expresso vel tacito externe manifestato pacto obtainendi rem temporalem, alter vero, beneficium nempe accipiens non dat illam. De hujusmodi simoniæ conventionali causa habetur c. *Cum essent,* 12, h. t. Quod si ex nulla parte fit executio, vocatur simoniæ conventionalis pura: si vero saltem ex parte unius fit executio, juxta dicta, vocatur simoniæ conventionalis mixta: utpote aliquid de reali, et aliquid de conventionali habens. Casu quo autem fieret quidem externa pollicitatio seu promissio dandi temporale pro spirituali, aut e contra: ab alio vero non esset acceptata non esset conventionalis, sed tantum mentalis simoniæ, si bene advertit Farinac. I. I, de Decis. 34, a num. 4, quia deest vera conventio et pactum, quæ est duorum, vel plorium in idem placitum consensus tacitus, vel ex-

pressus I. I, § 2, ff. de pactis. cum Concordant.

20. *Et quid realis?* — Resp. III. Simoniæ realis est, quando tacita vel expressa pactio seu conventio de danda re spirituali pro temporali, aut e contra, ex utraque parte saltem inchoate impletur, id est, quando unus rem spirituale, beneficium v. g. et alter istud pro illa jam actualiter tradidit. Lessius lib. II, cap. xxxv. Dubit. 6, num. 36. Pirhing, h. t. n. 9. Herinex, *de Simonia*, q. 1, num. 9. Guttier, can. quest. lib. I, cap. ix, num. 10. Covarruvias, in reg. *Pecatum*, 2, § 9, num. 7. Flamin. Paris, *de Resignat.*, lib. VII, q. 2, num. 7. Suarez, cum communi, et veriori aliorum, contra Sotum lib. IX, q. 8, a 1. Palao, *de Simonia*, punct. 22, n. 4. Cajetan. 2, 2, q. 100, art. 6, et nonnullos alios volentes, ad simoniæ realem committendam sufficere, si actu traditur, aut præstatur res spiritualis pro temporali, etsi premium temporale solutum aut præstitum non sit. Verum a priori et communiori sententia recedendum non est; ut proin simoniæ quocunque tandem etiam firmissimo contractu commissa tandiu maneat solummodo conventionalis, et consequenter a poenis canonicis immunis, donec res utrinque saltem ex parte tradatur.

21. *Non est simonia realis, quæ utrinque non est completa.* Qui promisit temporale pro spirituali, non tenetur ad illud, etsi istud jam accepit. — Infertur, si quis etiam serio promittit temporale pro spirituali, vel e contra, et postea beneficium v. g. jam accepto, poenitentia ductus promissionem ex parte sua adimplere, temporale videlicet promissum dare, aut præstare recusat, et omittit, simoniæ realis, et poenarum juris reus non erit. Neque habet, quod in hoc casu injustitia sibi timeat; quia res sacrae in commercium, et contractum humanum venire non possunt, I. *Inter stipulationem*, 83, § 5, ff. de Verb. obligat. et conventio pro illis per aliquid temporale acquirendis invalida est, consequenter nullam obligationem inducit, arg. can. Si quis, 8, cau. 1, q. 1, l. sed Celsus, 6, princ. ff. *De contrah. empt.*

22. *Sufficit ad simoniæ realem, etsi non totum sed secundum partem duntaxat detur promissum temporale, aut e contra.* — Dicitur autem saltem inchoate, quia, ut bene cum præcitatibus observat Lessius, loc. cit., ad simoniæ realem non requiritur ut totum, quod promisit, quis tradat, sed sufficit, si inchoate, seu ex parte det.

Infertur, quod, si quis promisit alicui trecentos florenos pro beneficio v. g. et isto accepto, interea dat centum, vel quinquaginta, vel etiam minus, simonia reatis poenias juris inducens jam sit completa. Idem est, si quis plura promisit obsequia temporalia, et accepto beneficio unum tantummodo, idque exiguum praestat, ita doctores citati.

23. *Non est necesse ut statim tradatur, sed sufficit, si postea fiat.* — Porro non requiritur ad simoniā realem, ut res temporalis pro spirituali, aut e contra mutuo statim simul tradatur, sed sufficit, si post aliquod etiam longum temporis spatium, annum v. g. tradatur. Hinc licet simonia maneat mentalis, vel conventionalis, donec ex utraque parte fiat inchoate saltem traditio, tamen ab illo momento, quo etiam postea fit alterius traditio, simonia realis completur, et quoad poenias juris retrahitur ad tempus actionis praeteritae, prout magis dicetur infra § 11.

24. *Simonia juris divini, quid?* — Quæritur II. Quid sit simonia juris divini, et quid simonia juris ecclesiastici? Item an bene dividatur simonia in hæc membra? Resp. I. Simonia juris divini, seu naturalis est, quando pro re temporali datur, vel promittitur res vere spiritualis, aut huic annexa, v. g. sacramenta, beneficium, calix consecratus propter consecrationem, etc. Cum enim natura seu lumen naturale dictet indecens malum, et rei sacrae injuriosum esse, quæ a sola liberali Dei manu dependet, omniaque temporalia sine comparatione superat, non ut tales tractare, sed rebus temporalibus æquiparare, hominumque arbitrio et estimatione subjicere, merito vocatur simonia juris divini, et naturalis. Estque propriissime dieta simonia, contra quam potissimum fulminant summi Pontifices, ac sacrosancti Canones: et ei proprie convenit simonia definitio supra num. 3 data.

25. *Simonia juris ecclesiastici, quid?* — Simonia juris duntaxat ecclesiastici (sic dicta, quia ortum habet a lege sola ecclesiastica) est, et committitur, quando non quidem datur temporale pro spirituali, aut e contra, sed spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali, contra legem tales ecclesiasticam ex motivo religionis positam sub poenias simoniae juris divini, ob periculum, et speciem ejusdem simoniae. Talis simonia juris ecclesiastici est omnis permulatio be-

neficiorum facta sine auctoritate superioris; licet enim per talē permutationis contratum non detur temporale, sed spirituale pro spirituali; nihilominus quia tanquam simoniacum et sub poenias simoniae ab Ecclesia prohibitum est, ne id propria auctoritate fiat, c. *Quesitum 5, c. Cum olim, 7, de rerum permutatione, labem simoniae ecclesiasticae continet.* Talis etiam committitur quando colligantes super lite beneficii transactionem faciunt propria auctoritate arg. c. *Cum pridem 4, de Pactis, et c. Constitutus 4, de Transaction.* Talis item simonia juris ecclesiastici est, quando venduntur officia oeconomi, vicedomini, thesaurarii, sacristæ, et alia similia officia ad rerum Ecclesiæ temporalium administrationem, defensionem, ve custodiam ordinata; licet enim hec officia sint quid mēre temporale, consequenter in eorumdem venditione detur solūmodo temporale pro temporali, tamen quia Ecclesia id tanquam simoniacum prohibuit, ca. 1. *Si quis episcopus 8, cau. 1, quæst. 1, can. Salvator. 8, cau. 1, quæst. 3, c. Consulere., 38, h. t. venditio hujusmodi labi et poenias simoniae subjacet.*

26. *Simonia recte dividitur in hæc membra.* — Resp. II. Simonia recte dividitur in simoniā juris divini, et ecclesiastici, ita Glossa in c. *Cum pridem. de Pactis, ¶. Illicitæ, et in c. ex parte il. 1, de Officio delegati, ¶. Dmittere,* quam sequuntur theologi et canonistæ, tam veteres quam recentiores fere omnes, in specie Anchoranus, Felinus, Abbas, Innocentius, Hostiensis, Decius, Fagnanus, Barbosa, et alii ad hunc Tit. contra paucos inter quos non nemo minus eruditus dixit, hanc divisionem ineptam, et chimericam esse, atque a solis recentioribus causis inventam. Conclusio manifesta patet ex juribus num. præced. citatis, in quibus cum plures allegentur simoniae, quæ non sint juris divini naturalis utique esse debent simoniae juris humani ecclesiastici, a jure videlicet ecclesiastico introductæ.

27. *Solvuntur objectiones contra hanc divisionem.* — Dices: Simonia juxta dicta n. 3, definitur, quod sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale pro temporali, atqui simoniae ecclesiasticae non convenit hæc definitio; ergo non est vera simonia, consequenter simonia super definita non bene dividitur in simoniā juris divini, et ecclesiastici. Resp. Negando Major. Quia hic omissionis, vel spirituali annexum, quæ verba

§ II. DE DIVISIONE SIMONIÆ IN MENTALEM, CONVENTIONALEM, ETC. 135

si adduntur, prout addi debent, definitio præfata convenit etiam simoniæ juris ecclesiastici; utpote vi cuius licet non detur temporale pro spirituali, aut e contra, datur tamen spirituale pro spirituali habente quid temporale annexum, vel temporale pro temporali habente spirituale annexum, seu pro spirituali annexo; uti patet, dum propria auctoritate consequenter simoniæ ecclesiastica permuntantur, beneficium pro beneficio, utpote quod præter esse spirituale, etiam habet annexos redditus temporales: et in venditione officiorum num. 25, allegatorum, utpote quæ cultum divinum, ad quem ordinata sunt, quodammodo annexum habent, illumque respiciunt.

28. Instabis: cum committitur simonia ecclesiastica, datur spirituale pro spirituali sine respectu ad temporale annexum, vel temporale pro temporali sine respectu ad spirituale annexum; ergo non convenit ei definitio simoniæ. Resp. Transmissio anteecedente, negando consequentiam; quia concessa antecedente tamen adhuc verum est, dicere, quod detur temporale pro spirituali annexo, etsi non detur propter spirituale, consequenter adhuc ei convenient definitio, numer. 3, data. Et licet detur sine respectu ad annexum, nihilominus quia Ecclesia ex motivo religionis id tanquam simoniacum, et sub poenias simoniae fieri prohibuit, propter speciem et periculum (quod ob connexionem rei spiritualis cum temporali intervenit) simoniae juris naturalis, vera simonia non quidem juris divini, sed ecclesiastici committitur.

29. Urgebis: Malitia simoniae potissimum consistit in hoc, quod res spiritualis inestimabilis coequetur vili pretio temporali; at qui hoc non contingit in simonia juris ecclesiastici; ergo. Resp. distinguendo Major. Simonia juris divini, de qua plerumque in iure est sermo, consistit in illo, conceditur; simonia ut sic, prout comprehendit sub se omnia membra, negatur.

30. Dices adhuc: Ecclesia non potest immutare rerum naturas; ergo non potest efficeri simoniacum, quod ex natura non est simoniacum. Resp. Ecclesiam non posse quidem mutare rerum naturas in genere entis, posse tamen id facere in genere moris. Nam potest aliqua ex se indifferentia, ex justis causis præcipere, vel prohibere sub motivo certæ virtutis, ita ut agens contra illud, vere committat vitium tali virtuti op-

positum, etsi hujusmodi res ex natura sua tali vitio non subjaceat; uti a simili patet in fornicatione v. g. cum consanguinea vel affine in gradibus solo jure ecclesiastico prohibitis, in quibus committitur incestus, etsi talis ex natura non sit.

31. Et ex his responsis patet, etiam simoniā ecclesiastica esse vere simoniā, convenire definitiōnem supra nu. 3, datam; consequenter illam a sacrosanctis Canonibus merito vocari simoniā, et Glossam cum communi doctorum bene facere, quod simoniā ut sic definitam, dividant inter alia etiam in simoniā juris divini, et ecclesiastici; quamvis non desint, qui concedunt definitionem supra num. 3, datam, simoniæ juris ecclesiastici exacte non convenire, consequenter eam simoniā proprie non esse, inter quos sunt, Pirhing, h. t. n. 6.; Sotus, lib. IX, de Justitia, q. 5, art. 3; Durandus, Layman, etc. Verum quia canones, Glossa, et communis doctorum in sensu proprio bene defendi possunt, in eodem mandatum cum Suarez, lib. IV, cap. II et VII; Lessio, lib. II, cap. XXXV, dub. 5, cum aliis.

32. *Simonia confidentialis, quid?* — Quæritur III. Ouid sit simonia confidentialis? seu (uti ab aliis, sicut etiam in Bullis vocatur) confidentialia beneficiorum? et quando committatur? Resp. I. Simonia confidentialis est et committitur, quando quis cuiquam beneficium ecclesiasticum procurat eligendo, postulando, præsentando, resignando, vel electum, præsentatum, etc., instituendo, confirmando, cum certa confidentialia, id est, cum expresso, vel tacito pacto, vel conditione, ut is, qui beneficium adeptus est, idem beneficium suo tempore iterum cedat ipsi, præfato modo procuranti, aut alteri v. g. fratri, vel nepoti suo, aut alii, velut alicui horum fructus beneficii, aut partem illorum, seu pensionem præstet. Ita communis, patetque ex Bulla Pii IV, Romanum Pontificem (quæ habetur tom. II, Bullari Cherub., estque, 85, inter Constit. dicti Pontificis) ubi hæc simonia, ejusque iniquitas amplius describitur, specialibusque poenias subjicitur (de quibus infra) et ex Bulla Pii V, Intolerabilis (quæ pariter 85. Constitutio est dicti Papæ in 2 tom., Bullari Cherub.) in qua antecessoris sui Bullam innovavit, et quomodo hæc simonia in foro externo facile probari valeat, declaravit.

33. *Eidem annumeratur acquisitio beneficij ex pacto accessus, regressus, et ingressus: et*

quid haec? — Resp. II. Simonia confidentialis, seu confidentia beneficii specialiter etiam committitur, si beneficium conferendo, eliendo, præsentando, resignando, etc., alicui procurantur cum reservatione seu pacto accessus, vel regressus, vel ingressus. Pactum seu reservatio accessus fit, quando quis cupiens beneficium obtinere alicui, Titio v. g. qui de facto ob ætatem, vel ob aliam causam inhabilis est ad habendum et frumentum beneficium, confert illud interea alii, v. g. Caio, hac tamen conditione, ut Titius habeat jus (quod ei nunc confertur) dictum beneficium propria auctoritate statim apprehendendi, quamprimum factus fuerit habilis, Layman, lib. IV, tract. X, § 8, n. 75; Flamineus Parisiensis, *de Resignat.*, q. 5, num. 111. Pactum vel reservatio ingressus fit, quando quis beneficium sibi collatum, ante ejus possessionem illud dimittit, vel resignat alteri hac conditione et pacto, ut, si talis ante ipsum moriatur, vel ad aliud beneficium promoveatur, aut alia ratione illud amplius habere vel non possit, vel non velit, jus resignanti remaneat beneficii sic resignati possessionem quam prius non cœperat, statim capienda et ingrediendi, sicut beneficio in effectu fruendi. Layman, ibid. Pactum regressus fit, quando quis beneficium actu jam possessum resignat alteri, reservato sibi jure regrediendo ad idem illo que fruendi, casu quo resignatarius ante ipsum moriatur, aut aliud beneficium incompatible recuperet, aut alia ratione dictum beneficium amplius habere, vel non posset, vel non vellet, aut pensionem non solveret. Idem Layman, loc. cit., patetque clare ex prædictatis Bullis Pii IV et V.

34. *Sunt prohibita hæc pacta a concilio Tridentino, et specialiter a Pio IV ac V.* — Porro, quamvis præfati modi beneficia resignandi aut conferendi jam fuerint reprobati a concilio Trident., sess. 25, cap. VII, *de Reformat.*, tamen memorati pontifices declarando et disponendo addiderunt, quod simonia confidentiali poenisque ejusdem subjacerent, et etiam coram ordinariis locorum facti, illiciti, simoniaci, et penitus nulli essent; idque præter alias rationes ideo præcipue, ne in beneficii introducantur successiones hereditariæ tantopere a sacrosanctis canonibus reprobatae, ut can. *Apostolica*, 7, can. *Si ergo*, 15, cau. 8, q. 1.

35. *Proponitur duplex controversia circa simoniā confidentialē.* — Et quidem hactenus

dicta de simonia confidentiali sunt certa, utpote clare expressa in allegatis Bullis. Est autem circa eamdem duplex controversia inter doctores. Prima, an in casu, quo quis alteri resignat, aut procurat beneficium cum condicione aut pacto, ut annua pensio solvatur non alicui alteri, sed illi ipsi, qui beneficium resignat, aut procurat, simonia confidentialis committatur? Navarrus quidem h. t., consil. 76, num. 6, et Lessius, lib. I, cap. xxxv, nu. 97, hoc modo simoniā communem duntaxat, non vero confidentialē committi, volunt, ducti ea ratione, quod Pius V dum simoniā confidentialē etiam ob reservationem pensionis committi declarat, expresse dicat, si fit pactum, ut pensio alii, vel aliis solvatur; consequenter aiunt, si fit pactum aut condicione, non ut alii, vel aliis, sed ipsi resignanti, aut procuranti beneficium, solvatu pensio. Simonia confidentialis non erit, sed communis tantum.

36. Altera controversia est, an etiam in permutatione beneficiorum committatur simonia confidentialis? Pro utriusque decisione sequitur sequens duplex responsio, qua ad quæstionem n. 32, positam.

37. *Qui resignat alteri beneficium reservata sibi pensione, reus est simoniā confidentialis.* — Resp. III. Etiam in casu, quo alicui resignatur, vel alio, ex allegatis numer. 33, modo procuratur beneficium cum condicione ut pensio solvatur non alii, vel aliis, sed ipsi resignanti, vel procuranti beneficium, vera committitur simonia confidentialis, Castro Palao, *de Simonia*, punct. 18, num. 6; Garcias, p. 11, *de Beneficiis*, cap. III, num. 194; Suarez, cap. XLIII, num. 7, et alii. Ratio præcipua est, quia Pius V, per suam Bullam confirmat, et invocat Bullam Pii IV, atqui hæc expresse disponit, simoniā confidentialē etiam in illo casu committi, quo resignans, aut procurans beneficium, pensionem sibi solvendam paciscitur, ut patet ex 1, § Bullæ, hinc licet Pins V, in sua Bulla ic specificis verbis non expresserit, tamen implicite idem statut, innovando et confirmingo totam Pii IV Bullam. Confirmari posset conclusio pluribus rationibus, quas vide apud citatos doctores.

38. *Limitatur.* — Notandum tamen, cum licentia et auctoritate Papæ, sicut et in non-nullis casibus cum licentia ordinarii fieri posse resignationes beneficiorum cum onere solvendi resignanti pensionem annuam; prout ex professo amplius diximus, lib. III,

§ II. DE DIVISIONE SIMONIÆ IN MENTALEM, CONVENTIONALEM, ETC. 437

tit. XII. Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur, § 4, per totum.

39. *In permutatione beneficiorum non committitur simonia confidentialis ex parte permutantium.* — Resp. IV. Non committitur simonia confidentialis, sed communis duntaxat, in permutatione beneficiorum, etiamsi ex parte commutantium fiat cum pacto, aut reservatione accessus, vel ingressus, vel regressus, vel cum condicione, ut pensio, vel pars fructuum uni permutantium, vel alii solvatur. Navarrus, h. t., consil. 77; Suarez, cap. XLIII, num. 11; Palao, *de Simonia*, punct. 18, n. 2. Ratio est, quia lex poenalis (qualis est, quæ in duabus Bullis Pii IV et V habetur de simonia confidentiali) est stricte interpretanda, l. XLII, ff. *de Poenis*, et c. Odia. de Reg. jur. in 6. Nec extendenda ultra expressa, per vulgaria juris; atqui casus permutationis in præfata lege non exprimitur; ergo.

40. *Bene vero committi potest ex parte ordinarii, vel alterius collatoris permutationem permittentis: et quomodo?* — Dicitur autem notanter ex parte permutantium: si enim ordinarius, vel alius beneficii collator cum uno, vel utroque permutantium pactum initret, quod vellet v. g. permutationem admittere, vel facta permutatione beneficium conferre cum hac condicione, ut similia beneficia permutata, vel eorum aliquod cum tempore alicui certo alteri tribuatur, vel sibi, vel aliis pars fructuum solvatur, simoniā confidentialē omnino committerent, poenasque illius incurrent, ut bene advertunt doctores num. præced. citati, patetque clare ex constitutione Pii V, *Intolerabilis*, utpote quæ ad collatores universaliter loquens ait: Si ordinarius, vel alius collator contulerit, vel conferat beneficium, quovis modo vacans (consequenter etiam si vacat ex causa permutationis, cum verba generaliter sint intelligenda c. Quia circa, 22, *de Privileg.*) ea conditione tacita vel expresa, etc., simoniā confidentialis reus erit.

Id tamen limita in casibus, in quibus ordinarius pensionem imponere potest, juxta dicta supra, num. 38.

41. *Simonia confidentialis est subinde juris divini, subinde ecclesiastici.* — Si quereras, utrum simonia confidentialis sit juris divini vel ecclesiastici duntaxat? Resp. Si alicui aliquo ex allegatis num. 33, modis procuratur beneficium cum hac condicione, ut be-

neficium memoratum cum tempore iterum cedatur procuranti, vel alicui alteri, consequenter solum spirituale pro spirituali tradatur, aut promittatur, erit simonia juris ecclesiastici introducta per constitutiones Pii IV et V. Si vero fiat cum condicione, ut procuranti, vel alteri solvatur certa pars fructuum, seu pensio; consequenter detur spirituale pro temporali, erit simonia confidentialis juris divini, prout liquet ex utriusque natura supra num. 26 declarata.

42. *Bulla Pii V, per extensum de simonia confidentiali.* — Cæterum quia casu confidentialis simoniæ non raro occurunt, placuit unam saltem ex præfatis constitutione Pii V videlicet, per extensum hic subjungere, ut quis fontem ad manum habeat, ex quo videre possit, an, quando, et a quibus committatur simonia confidentialis; quomodo ob eam incurvantur poenæ, et quomodo probetur. Licet de poenis illius etiam infra § 11, a numer. 284, in specie simus locuturi.

Declaratio casuum, ac presumptionum, in causis confidentiali beneficialis contra quosecumque, etiam S. R. E. cardinales, cum appositione poenarum.

« Intolerabilis multorum perversitas, qui sacrosanctas constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, saepè illorum autores in necessitatem adducit, cautius providendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus graviore sanctione postposita reprimantur.

» § I. Bene quidem, et providenter fel. rec. Pius Papa IV, prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipacionis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam, statuit et decrevit. Ut in bulla cit. in rub.

» § II. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates prædictas, que ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, et animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperte gravius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem contentati, quod judices in causis hujusmodi confidentialiarum expediendis r. ussiores essent, omnes et singulas causas ipsas, ubi cunque motas, ad nos advocavissimus, ad omnimodam hujusmodi causarum, et futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis et successoribus